





עֵר וְזִנְה

Mal. II, 12.

h. e.

OFFICIA PRAECEPTORVM
ET DISCIPVLORVM

STRICTIM PERSEQVVTVS

AD

ORATIONEM

BENEFICIO

RICHTERIANO

DESTINATAM

OBSEQUIOSE INVITAT

M. IO. GOTTL. BIDERMANN. R.

FREIBERGAE,

Litteris MATTHAEANIS.

LXXII.

Multa sunt ac varia nomina, quibus cum docentes tum discentes insigniuntur. Ex quorum numero iam ea oculos feriunt, quae in oraculo Malachiae, vatis divini ordine postremi, obuerfantur, ubi illi VIGILVM, hi autem RESPONDENTIVM appellatione salutantur. In loco enim allegato quum DEVS sacerdotis illius aetatis grauisime increpuisset, ab officii ratione longissime digressos, uniuersae Iudaeorum genti, iusta indignatione commotus, haec comminatur: *Euertet Iehoua virum, qui haec fecerit, et quidem וְיָגִידוּ עָרְוָה tam Vigilantem, quam Respondentem.* A quibus verbis omnis difficultas exulare videtur, si, quis Vigilantis et Respondentis nomine intelligatur, fuerit explanatum.

Vt igitur ab eo ordiamur, qui וְיָגִידוּ h. e. *Vigilans* dicitur, frigidam et ieiunam interpretationem illorum pronuntiare non dubitamus, qui hoc nomine quemlibet hominem aura vitali vescentem et spiritum dicentem indicari, cum VALSCHINDLERO arbitrantur. a) Non solum enim haec loquendi ratio idoneis exemplis destituitur, sed etiam ab indole et natura oppositae vocis וְיָגִידוּ omnino abhorret. Eiusdem pretii versio SANTIS PAGNINI erit censenda, qui וְיָגִידוּ per *agentem et consentientem* interpretatur. b) Neque IO. CALVINI explicatio adplausum meruit, qui dictionem וְיָגִידוּ per *excitantem* transfert, et hoc nomine eos omnes significari statuit, qui *imperio pollent, et alios vocare possunt*: c) in quo LEONEM IVDAM sequutus videtur, qui verba nostri oraculi וְיָגִידוּ vertit: *et qui auctor est, et qui obsequitur.* d) Eadem vero chorda PETR. RAVANELVS oberat, verbis oraculi nostri hunc sensum adfingens: *e) per Vigilantem intelligitur ille, qui alium ad male agendum excitat, vel, qui est hominis improbe ac perfide agentis adiutor ac defensor.* Hic enim ut sensus valeret, in coniugatione transitiva וְיָגִידוּ dicendum fuisset, neque intransitivum וְיָגִידוּ locum haberet. Et quibus, quaeso, testimoniis confirmabitur, in dictionem וְיָגִידוּ notionem *dominandi* conuenire?

At quis mirètur, interpretes in tam diuersas sententias discessisse, quum ipsae versiones orientales, quas publica auctoritate receptas consuluerunt, à fontibus longissime aberrarint. Septuaginta enim Interpretes verba prophetae וְיָגִידוּ per supinam oscitantiam ita conuerterunt, vel ut rectius dicam, deprauarunt: *εὐσιν αὐτῶν περὶ τὴν εὐσιν*, vocem וְיָגִידוּ in εὐσιν, usque, commutantes, et coniugationi Kal verbi וְיָגִידוּ significationem *humiliandi* adsignantes, quam nonnisi fere in Piel admittit. Vti vero uno oscitante alter facile oscitatur: ita cum LXXlibus Interpres Arabs eundem sequitur errorem, verba וְיָגִידוּ transferens: *ita, ut deponatur.* Quo vero ingenio *Chaldaeus* ex duobus istis nominibus finxerit בְּרִי וְיָגִידוּ, *filium et filii filium*, suspicando adsequi non possum. Ne tamen solus alucinaretur, socium erroris nactus est *Syrum*, qui וְיָגִידוּ in *filium et eius nepotem* conuertit.

a) Lex. Pentagl. ad h. v.
d) in Bibl. ad h. l.

b) in Bibl. ad h. l.
e) Biblioth. Sacr. Vol. II. p. 834.

c) Comment. in h. l.

In his autem opinionum ditortis quaenam sententia ceteris anteferri mereatur, nunc paucis erit edisserendum. Et negari quidem non potest, eos summi nominis magnaque in enodandis oraculis diuinitatis auctoritatis eos, qui *Vigilantes* à propheta adpellantur, per *Sacerdotes* explicasse, ad illa Scripturae S. loca prouocantes, in quibus viri sacri ordinis *Vigilum* nomine insigniuntur. f) Quamuis vero hoc largiamur, neque diffiteamur, in toto capite secundo vaticiniorum Malachiae obiectum primum recte constitui sacerdotes, quod ipsum exordium illius docet, his verbis conceptum: *ad vos sacerdotes pertinet hoc praeceptum*: hoc tamen, in quo nunc occupamur, commate disertis verbis *vigiles* ab iis distinguuntur, qui *fertum Domino offerunt*, h. e. qui sacra procurant. Id quod R. IONATHAN animo complexus, ultima huius oraculi verba ad aliud, idque diuersum ab ער ועונה obiectum personale refert, hanc paraphrasin addens: g) וראם כהן הוא, *et si fuerit sacerdos*, Dominus ita eum disperdet, ut ne amplius offerat sacrificium. Quae quum ita sint, Megalandrum LUTHERVM verba ער ועונה optime per *Meister und Schüler* expressisse, adfirmare non dubitamus. Neque aliter Iudaeos, linguae patriae peritissimos, certe plurimos, sensisse, ex מכלל ירפי discimus, ubi haec leguntur: h) ער בהכמים עונה h. e. VIGILANS (dicitur, unusquisque) *inter sapientes*: RESPONDENS autem (quisque) *inter discipulos*. Vnus ABENESRA contrariam sententiam tuetur, qui ita pronuntians: i) ער בהלמידים עונה בהכמים, VIGILANTEM *inter discipulos*, RESPONDENTEM *inter sapientes* refert. Cum Luthero autem tantum non omnes versiones occidentales consentiunt: ita nempe Hispanica: *al que vela y al que responde*: ita Italica: *colui che veggia, e colui che canta*: ita Gallica: *tant celui, qui reveille, que celui, qui repond*. Ita Dalmatica vel Veneda: *Moisra inu Shularja*; atque ita Anglica: *the master and the scholar*.

Namque his duobus nominibus ער ועונה officia magistrorum et discipulorum viuis veluti coloribus depingi, cum per se patet, tum ex re veterum Iudaeorum scholastica intelligitur. Tantum scilicet pretium Iudaei eruditioni comparandae statuebant, ut locum, in quo schola non esset, pro infami haberent. Ex multis testibus MAIMONIDEM, qui instar est omnium, audiamus: k) מושבין מלמדו הנוקבין בכל מדינה ומדינה בכל פלך ופלך ובכל עיר ועיר: וככל עיר שאין בה הנוקבין של בית רבן מרומין אה אנשי העיר ער שמושיבין מלמדו הנוקבין ואם לא הושיבן מרומין אה הנוקבין של בית רבן: h. e. *in omni ditio- ne, omni vico, et urbe denique omni constituere solent, qui pueros doceant. In quacunque autem urbe non sunt pueri, qui ludum litterarium frequentant, illius incolae anathemate feriunt, donec constituunt ludimagistros. Quodsi vero ne tum qui-*
dem

f) Ies XXI, II, 12. Ez. III, 17. Aq. XX, 31. Ebr. XIII, 17. Apoc. III, 2, 3. g) Targum ad h. l. h) ad h. l. i) Commentar. in h. l. k) in Hilchot Talm. Torah c. II, §. I.

dem illos instituant, locum illum vastant, quia mundus non subsistit, nisi propter habitum puerorum scholae. Quam in sententiam Pharisei olim dicebant: 1) ὁ ὄχλος ἔτος ὃ μὴ γινώσκων τὸν νόμον, ἐπικαταρατοῖ ἐστω: plebs legis ignara est execrabilis. Contra vero, qui litteris ita erant imbuti, ut alios iis impertire possent, non tantum conspicuis titulis ornabantur, sed etiam illustrissimis dignitatibus praeficiebantur, omnino digni, quibus nomen ἡγῶν h. e. *Vigilum* tribueretur. Namque non solum iuramento sese obstringebant, se, dum viuerent, doctrinam à maioribus acceptam amplificaturos, sed etiam omni contentione et fide puritatem eiusdem propugnatos, siue uniuersum coetum in profectibus, siue in academia litterarum studiosos docerent. Praeterea vigilare eos decebat, ne quid in causis dubiis peccaretur, definiendo, quid vetitum (איסור) quidue licitum (היתר) esset, quorum illud in N. T. λυσι, hoc δεσν dicitur, m) Tantum scientiae, imo vero tantum animi in magistro, qui Iudaeorum iuuenes institueret, requirebatur. Accedebat, quod ille non sola studiosorum corona cinctus esset, qui disciplinae suae traditi erant, sed etiam ex ipsis collegis et hospitibus docente[m] accederent, quicumque vellent, cum magistro disputaturi: quod exemplo IESV adparet, quem duodecim annos natum parentes inueniebant καθεζομενον ἐν μεσῶ των διδασκαλων καὶ ἀκούοντα αὐτων, καὶ ἐπερωτῶντα αὐτες. n) Ex huiusmodi enim disputationibus totam fere Gemaram esse compilatam, rerum Iudaicarum scriptores iam pridem obseruarunt. Quod igitur trito prouerbio adfirmatur, docendo nos discere, id reuera praecceptores in scholis Iudaeorum etiam experiebantur. Inter alios R. IEHVDA, cognomine Sanctus, hoc publice constitetur, dicens, o) : מכלם : הרבה למדתי מרבתי ומחברי יודתי מרבתי ומחברי יודתי מהלמידי יודתי מכלם : multum didici a praecceptoribus meis, plura à collegis, sed plurimum à discipulis.

Iam vero à magistris ad auditores, atque à docentibus ad discentes ordo nos deducit, quos vates diuinus nomine עידי repraesentat. Vti enim commoda atque idonea responsio indicium est praeuiae attentionis et diligentiae, quae CICE-
RONE iudice, omnes in se virtutes complectitur: p) ita Respondentis nomine officium boni discipuli egregie commendatur. Hac mente doctores Iudaeorum ab auditoribus suis animum litteris intentum, studium pertinax, et curam singularem postulabant. Huc valet monitum MAIMONIDIS; q) *Verba studia non verificantur in eo, qui remissum se facit super illis; neque in iis, qui delectationis causa discunt, vel cibi ac potus ergo; sed in eo, qui se ipsum mortificat super illis, et corpus suum iugiter adfligit, ita, ut non det somnum oculis suis, neque palpebris suis dormitationem. Namque hanc in rem dixit Salomo: r) si remisse te gesseris, tempore angustiae tua virtus in angustia erit: et alio loco: s) sapientia mea mecum perseverauit.* Paucis interiectis vero, ostensurus, quantum proficiat disci-

1) Iob VII, 49.
II. 35.

m) Matth. XVI, 19.

n) Luc. II, 46.

o) in תענית f. VII, 1.

p) de Orat.

q) loc. cit. Cap. III. §. 12.

r) Prov. XXIV, 10.

s) Coh. II, 9.

discipulus diligenter respondendo, ita differit: *quicumque audire facit uocem suam tempore studii sui, eius studium firmum reddetur in manu eius.* Neque uero ea solum magistri ex discipulis quaerebant, quae ueritatem in aprico positam ostendebant, sed etiam experiendi ingenii et acuendi iudicii causa nonnullam quaestiones captiosas proponebant. Testatur hoc MAIMONIDES: t) *Magistro, inquit, licet etiam seducere discipulos quaestionibus, quo acuat eos, neque tamen habet potestatem, eos de alia re interrogandi, quam in qua nunc uersantur.* Et hanc ob causam in פּרָקֵי אֲבוֹתָא f. *Capitulis Patrum* u) omnis discipulus commendatur שׂוֹמֵר וְמוֹסֵר שׂוֹמֵר וְמוֹסֵר h. e. *interrogans et respondens, audiens et augens doctrinam.*

Haec iam in medium prolata eo ualent, ut eadem nomina עַר וְעוֹנָה etiam nostris in scholis tam docentibus quam discentibus officia sua in mentem reuocent. Quod enim ad magistros attinet, quis *Vigilum* nomen illis denegabit, ea in officina quotidie uersantibus, quam ueteres, nomine à curis deriuato, Φροντιστηριον haud immerito adpellarunt? w) Quanta enim cura et circumspectione opus est, ne quid omittatur eorum, quae rationibus discentium inseruiunt, neue quid committatur, quo animi molles ac teneri offendantur? id quod poëta profanus, IUVENALIS, religiose praecipit, canens: x)

*Nil dictu foedum uisique haec limina tangat,
Intra quae puer est: procul hinc procul inde puellae
Lenonum, et cantus pernoctantis parasiti.
Maxima debetur puero reuerentia: si quid
Turpe parat, ne tu pueri contemseris annos.*

Et quantum prudentiae requiritur, ut ingeniorum iuuenilium propensio recte exploretur, explorata temperetur, et temperata ad colendas uirtutes rapiatur? Hac mente THEOGNIDES fidelem praeceptorem ita informat: y)

ἔχε Μιστῶν θεραποντα καὶ ἀγγελον, εἰτι περισσοῦν
εἶδεν σοφίης, μὴ φθονερον τελεθειν,
Ἄλλα τὰ μὲν μάθαι, τὰ δὲ δεκνῶσαι, ἀλλὰ δὲ ποιεῖν, κ. τ. λ.

h. e. oportet *Mistarum* famulum et nuntium, si quid eximum nouerit sapientiae, non inuidum esse, sed alia inquirere, alia ostendere, alia uero facere. Quanto porro studio fidelem scholae magistrum innigilare decet, ut animi discipulorum à quacunque labe immunes et salui praeferantur, frenum autem humanitatis haud inuitis iniiciatur? ut cupiditas discendi indies excitetur magis quam restinguatur? ut eadem promptitudine, qua facilitate linguae ac scientiae infillentur? Quam in sententiam MANTVANVS recte dixit:

Eff

t) l) c. Cap IV § 8.
x) Sat. XIV.

u) Cap VI § 5.
y) Sentent. v. 766. lqq.

w) *Aristophan.* Nub. I. I.

Est opus, ardentem frenis arcere iuuentam, Nec finire, in mores luxuriare malos.

Tot nempe aerumnæ fidei præceptoris et iuuentutis rectori sunt subeundæ, tot molestiæ denorandæ, tot contumeliæ concoquendæ, et tot quotidie labores exhauriendi, ut, quod homines profani de Ixionis rota et saxo Silyphi commenti sunt, in suo hic ergastulo indies renouari lentiat. Hoc vitæ genus felicissimi ingenii poëta, GEORG. BVCHANANVS, 2) eleganter describit, ipsa experientia edoctus, quum nempe Parisiis in schola artes liberales profiteretur. Ita vero ille:

*Ante diem curuos senium graue contrahit artus:
Imminet ante suum mors properata diem.
Ora notat pallor, macies in corpore toto,
Et terrico in vultu mortis imago sedet,
Otia dum captas, præceptis in mille labores
Irruis, et curis angeris usque nouis,
Nocte leues somnos carpit desessus arator,
Nocte quies ventis Ionioque mari:
Nocte leues somnos resolutus compede fossor
Captat, et in mediis nauta quiescit aquis:
Ast tibi nocte nigrae fuligo bibenda lucernæ,
Qui Præceptorum castra sequenda putas.
Peruigil in lucem lecta atque relecta reuoluas,
Et putri excutias scripta sepulta situ.*

Et postquam generatim Vigilum scholasticorum munia ostenderit, nominatim singula in medium adfert:

*Iam sedet, et longis clamoribus ilia rumpit,
Excutit implicitos ingenioque locos,
Corrigit et delet, mutat, vigilata labore
Promit, in obscuro quæ latuere diu.
Hinc virgæ strepitusque sonant, fletuque rigantur
Ora, inter curas transigiturque dies.
Imo usque in seram noctem labor improbus exit,
Ceui breuis aerumnis hora diurna foret.*

Quam vero iustum est, ut præceptores vigilando partes sibi demandatas exsequantur, tam necesse etiam est, ut discipuli suo officio satisficiant, commode

2) Poemat. p. 64.

ac diligenter *respondendo*. Iudaeos certe ex facultate bene ac promte respondendi omnis doctrinae rationem iudicasse, R. IOCHANAN suo testimonio confirmat; a) ואמר ר' יוחנן איזוהי הלמיה חכם כל ששואלין אותו הלכה בכל מקום ואמר: h. e. et dixit R. Ioachanan: quis est vir eruditus? respondit: quicumque interrogatus respondere potest. Eodem valet elogium, quo R. NACHMAN, discipulum diligentem et respondendo promptum ornat; b) למה הלמיה חכם דומה אמרו: לזלוחיה; חכם של פלשין מצולה רוחה נודף מכותה אין ריחה נודף; fapiens? Respondetur: similis est pyxidi unguenti foliati: (Cant. I, 2.) quando illa est aperta, diffunditur odor eius, quando autem est clausa, odor illius non sentitur. Quemadmodum enim, ex trito proverbio,

scire tuum nihil est, nisi te scire, id sciat alter:

ita quaerendo et respondendo iuvenes, qui studiorum causa in scholis versantur, diligenter exerceri oportet, ut non tantum intelligant, quantum profecerint, sed etiam, quantum sibi adhuc desit, cognoscant. Hoc consilio veteres Philosophi, imprimis autem Academici et Pyrrhonicus, perpetuis quaestionibus et percunctationibus ingenium iudicium et memoriam discipulorum suorum tentabant, et ex responsionibus eorum profectus metiebantur. Et quem fugit ratio per quaestiones docendi Socratica, adeo probata, ut FRANC. BONNAEVS c) postliminio eam in scholas reuocandam commendet. Imo etiam in veteri ecclesia huius generis συζησεις de rebus sacris identidem institutas fuisse, AVGVSTINVS memoriae proditum reliquit. d) Ne quid de eo iam more dicam, quo adhuc publice elementa doctrinae christianae interrogando et respondendo et traduntur et examinantur. Quam igitur veterum sapientissimi hanc discendi methodum non tantum probauerint, sed etiam commendauerint, omni omnino studio in eo eniti debent, qui litteris in schola operantur, ut, quod poeta monet, discipuli semper euadent e)

et cantare pares et respondere parati.

Ita enim et suis rationibus consulent, et expectationi parentum non minus quam patronorum satisficient, et molestias praeceptorum mirifice leuabunt. Diu enim vix potest, quanto solatio magister fidelis erigitur, sentiens, suum laborem frustra non impendi. Quanta laetitia agricola adficitur, ubi videt, curas et vigilias suas uberrima messe compensari: tantam voluptatem praeceptor ex felici educationis successu atque exoptato institutionis fructu perfruit.

Hec dum animo considero, peropportune iuuenis obseruatur, non tantum in numerum eorum, quos adhuc delineavi, referendus, sed aliis etiam in exemplum proponendus, nempe

a) Traët. שבה fol. IIX. a.

c) De rat. disc. c. 4.

VII, 5.

b) in Gemara Avoda Sara c. II. ed. Ezard p. 121.

d) in Epist. CXIX. ad Ian.

e) Virg. Ecl.

FRIDR. SAMVEL FRITSCHÉ;

Freiberg. Misn.

filii Maxime Reuerendo Patre, viro antiquae fidei, et tam doctrinae puritate quam vitae integritate conspicuo haud indignus, in quo bona indoles cum pertinaci industria vinculo firmissimo copulatur. Quod si enim Paullus, diuino Spiritu adflatus, verbi diuini praeconem commendat, f) *τενω έχουτα εν ύποταγη μετα πασης σεμνοτητος*, quis dubitet, hunc Venerabilem Parentem eam ob causam bis ac ter fortunatum pronuntiare? quippe qui non solum duo priuignos videt publicis muneribus praefectos, quorum alter apud Tauchenses, alter apud Reudenses cum laude ac fructu sacra procurat, sed tertium nunc quoque filium bene praeparatum in academiam dimittit, fratrum vestigiis multa cum cura insistentem. Quantum igitur fructum hic Pater optimus ex studio bonae educationis percipit, tantum voluptatis nos adhuc ex eo cepimus, quod idem non solum disciplinam domesticam, cum scholastica studiosissime coniunxit, sed etiam, quod rarissime fieri solet, magistrorum laboribus iustum pretium statuit. Neque dubitant praeceptores, quorum opera hic adolescens usus adhuc fuit, eum spem de se conceptam vel exaequaturum, vel superaturum. Imo eadem fiducia permoti scholae nostrae GRAVISSIMI INSPECTORES non dubitauerunt, in praemium diligentiae ac virtutis iam discussurum eo viatico instruere, quod diuus IO. CHR. RICHTERVS probatae indolis iuuenibus destinauit, et cuius beneficii memoria anniuersaria, ex benefactoris voluntate, die Concordiae est restauranda. Et quoniam haec dies simul mortem D. Mart. Lutheri renouat, commilito noster, hoc animo complexus, ultima vice, Latinis utens verbis, *de die Concordiae Diui Lutheri emortuali*, perorabit, verbis autem vernaculis ad numeros adstrictis animum beneficiorum memorem Patronis, Fautoribus ac Magistris significabit. Cui digresso amicus coniunctissimus,

Christian Ebragott Schneider, Freib.

condiscipulorum nomine felicem abitum gratulabitur, Gallico sermone *de necessitate societatum humanarum* praefatus.

Ad hos audiendos VOS, MECAENATES ac FAVTORES, prolixis verbis ego inuitarem, nisi animo praeuiderem, quantam alacritatem ad memoriam nostri Lutheri religiose recolendam spiretis, quo loco utrumque oratorum nostrorum Venerandum Parentem habeatis, quantum elegantiorum litterarum studiis tribuatis, quanto amore felicia honestorum iuuenum ingenia complectamini, et quanta virtute nostros litterarum alumnos Vestra praesentia inflammatis. Vti vero nostram scholam nouo hoc beneficio Vobis denuo denuncietis: ita nobis nihil fore gratius, publicae profitemur, quam de Vestra erga nos beneuolentia non minus quam de nostro erga Vos obsequio gloriari. P. P.

Freibergae, d. XIX. Febr. MDCCLVI.

f) 1. Tim. III, 4.

Yb 627

(1/80)

ULB Halle
002 103 591 3



TAJOL







עֵר וְעֵזְרָה

72

Mal. II, 12.

h. e.

OFFICIA PRAECEPTORVM
ET DISCIPLINARVM

STRICTIM PERSECVTVS

AD

ORATIONEM

BENEFICIO

RICHTERIANO

DESTINATAM

OBSEQUIOSE INVITAT

M. IO. GOTTL. BIDERMANN. R.

FREIBERGAE,

Litteris MATTHAEANIS.

LXXII.